



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Simeon Stylites, Junior 24. Maii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

3. Quam grata fuere Florentio Urli mansuetè famulantis officia! Sis à natura ferox (utcunque pretendis, & tuam excusas ingenitam austeritatem) non eris Urlo ferocior: cur non assuetudine mansuescere posses? Sed & cogita S. FLORENTIUM, qui belluam famulantem habuit, sanctius dominium in affectus suos exercere debuisse, tam sancti errore disce etiam primis motibus resistere, ne efferentur animi passioncs. Principium quantitate est minimum, potestate maximum: docet Aristoteles.

## S. SIMEON STYLITES, JUNIOR

24. Maii.

*Multi ambulant --- quorum finis interitus est, & quorum Deus venter est --- nostra autem conversatio in caelis est; unde salvatorem expectamus Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostra. ad Philip. c. 3.*

**H**ominem caelestem, an terrestrem Angelum SIMEONEM malis dicere, tantò magis dubitabis, quantò rectius noveris. Vocis parentum concessus, futurae sanctitatis

ris vatem Christi anteambulonem Joannem  
 habuit, cui ne quid in victus parsimonia  
 concederet, jejunia in eunis inchoavit, lacte  
 matris ubere, velut ominis causâ, semper ab-  
 stinens. Sexto ætatis anno ab hominû con-  
 sortio in loca sola secessit, nunquam tamen  
 solus, Cœlitibus eadem cum eo ca-  
 sas habitantibus. Ex quo tempore, incom-  
 moda naturæ vel non sensit, vel inusitatis  
 fomentis sustentavit, nectare, vel quocunq;  
 nomine appellare lubet, deliciis divinitatis  
 pastus. Exacto in hunc modum sexennio, in  
 cœnobium immigravit, magnâ Religiosæ  
 vitæ commendatione, quam Angelorum  
 contubernio, eo factò videbatur antetulisse.  
 Sed nimirum illic quoque Angeles reperit,  
 haustramque eorum usu innocentiam mag-  
 nis prodigiis confirmavit; ut, cum Leopar-  
 dum pro sele domestico circumduxit, aut  
 cum ad ejus imperium leo puerum à comi-  
 tibus desertum, tergo ad socios subvexit,  
 quæ Magistro Simeonis ansam præbuere,  
 cum ad perpetuam in columnis stationem  
 invitandi. Paruit Simeon, atq; corpore juxta  
 animoq; supra terram eminens, ex communi  
 illius ævi sensu columna fuit sustentans or-  
 bem terrarum. Nos, cum hæreamus in luto,  
 digi-

digito tamen paramus cœlum contingere.

Ex Men. & Evagrio.

## M E D I T A T I O

### De anima Immortalitate.

1 **SIMEON** stylites ut conversationem suam  
Shaberet & cœlis tantò propinquius, colum-  
nam ascendit, sic vidit infra se pessimorum homi-  
num felicitatem, & honorum econtta pressuras.  
Vidit etiam supra se & perpendit, quæ Deus præmia  
bonis præparet in alterâ vitâ. anima mea sta fortiter  
ad cœlum erecta, & si pateris in terrâ, audies brevi  
Christum loquentem. *Respicite & levate capita vestra  
quoniam appropinquat redemptio vestra.*

2. Stetit stylita elevatus à terrâ, ne luto inficeretur  
terrestriam bonorum, quæ tametsi maculant, invitè  
tamen deseruntur, & quò plura adherent, eò plura  
desiderantur. Unde apparet hominem ad ejusmodi  
bona creatum non esse, quæ sic inania sunt, ut cu-  
piditatem explere non possint. Quàm cupidè à te  
quiritur Deus, qui solus est immortalis animæ tuæ  
plena satietas.

3 Sis ipsa felicitas in præsentis vitæ statu, semper futura  
bona anhelabis, nunquam fatur præsentibus, nec di-  
ces *sum usquequaq; felix.* Eja anime mi! hæc rerum  
futurarum desideria, & tuæ in bonis præsentibus an-  
xietates ostendunt, quàm contemptibilia sint hæc  
omnia præ Deo, quem *Beati vident semper, & videre  
sine anxietate desiderant, & sine fastidio sasiantur.* S.  
Aug. S. MAR,